



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

caput decimum primum. Anglorum Religio ab aliis sectis in quibus differat.
Elisabetha Religionem mutat, retentis tamen quibusdam ex Catholica
Ecclesia &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

do suis suffragijs Episcopos clericosque ad hoc iuramentum lege compelli permitterent. Ita multi ex magnatibus hac cautione pulcre sibi prospectum putantes, de Episcopis ac Pastoribus suis non multum curarunt, eosque irreligiosis istis legibus obnoxios reliquerunt. Quod strategema illa in patris schola didicisse videbatur. Hic enim quum ad monasteriorum Religiosorumque bona occupanda animum adiecisset, facile in comitijs quod voluit effecit, non solum per Principes laicos, sed etiam Prælatos Ecclesiasticos sæculares, qui parum sua interesse putabant quid de Religiosis personis rebusve monasticis statueretur: sed tandem & ipsi postea in prædam cesserunt. In hac tanta rerum perturbatione Nobilitas fere omnis quæ ab aula aberat, vt & populus magna ex parte Catholicam sequebatur religionem. Sola Londinensis vrbs & aula regia maxime erant corruptæ. Principes plerique Calvinismi studium palam simulabant, clam tamen Catholicorum more vivebant. Ne vero aut reginæ gratia aut muneribus & dignitatibus exciderent, Calvinistarum conciones quidem publice audiebant, domi vero sacrum Catholicum ritum sibi peragi curabant; sic Deo & diabolo simul seruientes. Sed Principes illi Prælatos Ecclesiasticos desertos passim, & ipsi tandem à Deo deserti, miserabiliter perierunt.

ANGLORVM RELIGIO AB ALIIS
sectis in quibus differat. Elisabetha religionem
mutat, retentis tamen quibusdam ex Ca-
tholica Ecclesia, &c.

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

- I. De religione Anglorum: & quomodo ea, tam ab alijs heresibus, quam Catholica fide, differat.
- II. Disputatio inter Catholicos & Calvinistas habita: postquam Missa abrogata, & Episcopi atque alij Catholici varijs modis fuerunt afflicti.
- III. Pius V. Papa Angliam anathematis fulmine percussit.
- IV. Elisabetha regina in rebus spiritualibus & ab Ecclesia dependentibus magnam sibi auctoritatem impio sumit.

V. De Anglicanis in Belgio, Gallia, & Roma Seminarijs. Item de Martyrologio hereticorum.

VI. Elisabetha S. Crucis signum in honore habet & Calvinistas reformationem à se præscriptam amplecti cogit.

N Vmquam Africa, monstrorum parens, ob monstrosos diuersorum animalium inter se congregantium partus à veteribus dicta, vllam tigridem tam maculosâ, aut quamcumque aliam bestiam tam variegatâ pelle produxit, quantam Anglia in Leopardis suis, quibus pro insignibus vititur, non quidem coloribus, sed religionum sectis, earumque legibus ac ceremonijs plurimum inter se discrepantibus, varietatem ac difformitatem ostendit: cuius nos hicaliqua lineamenta leui penicillo adumbrata, toti orbi spectanda proponemus, vt lectores hæreticos multiplices formas non cognoscere tantum & admirari, verum etiam detestari discant. Elisabetha quidem (cui Leopardos pro insignibus nemo inuidere debet) cæcō conatu tam variam, versipellem, ac confusam ex omnibus sectis Ecclesiam ædificauit, vt quamuis nihil fere Catholicum habeat, tamen nec Hussitica, nec Lutherana, nec Zuingliana, nec Calviniana, nec Carabaptista dici possit, & tamen ex omnibus aliquid in ea agnosci possit: à Catholicis sterum exteriorum cortices & ceremonias, à sectarijs cultus interiora & doctrinam mutuata. Primum ergo Visitatores constituit, qui religionem ad eam formam qua sub Eduardo VI. fuerat, reformarent. Dignitates Ecclesiasticas quibus vellet, distribuit. Episcopos consecrat, vestitum Ecclesiasticis præscribit, ceremonias aliaque quorum mysteria non caperet, proseribit, pro lubitu denique omnia fert & agit. Cum Gallis Calvinistis non leuis, ei erat contentio, quos nimis multa reijcere, & religionem omnimodò nudatam sequi dicebat: vt & Hagionora quidam Vasco, Catholicorum religionem nimis pinguem, Calvinianorum nimis macram esse dixit. Ecclesiasticos etiam à laicis vestitu discerere omnino volebat: quæ etsi tamquam superstitiosa & Papistica, expienderent Calvinistæ, illa nihilominus in sententia pestabat, inquiring Deum semper excernis ceremonijs coli voluisse, altaria, cerros, suffragationes Veteris legis esse approbata.

quumque tam operose Principibus seruiatur, quanto magis Deo, regum regi, &c. Hanc vero externam religionis speciem conseruari volebat, vt populul tal mutatione minus offenderetur. Vnde Ecclesiastici non modo diuersum à laicis vestitum, verum etiam prisca Archiepiscoporum, Episcoporum, presbyterorum, Archidiaconorum, Canonicorum, nomina retinuerunt. Relicta etiam in templis & compitis S. Crucis aliaque sanctorum imagines; & orationes pro defunctis haberi iussa. Cum Abbat etiam Vestmonasteriensis egit Elisabetha, vt vnà cum monachis in monasterio permaneret, & secundum leges præscriptas sacra administrarent: quod facere illi recularunt. Organa etiam, cantus, cerei, cappa, in vfu manserunt; nec inusitatum erat baptismum sine concione administrare, aut frontem cruce signare. Cenam Domini celebrantibus ministrorum vnus panem, alter vinum porrigit, idque Muscatellum nonnunquam. In funebribus cantum adhibent, Adulterij conuicti publice alba amicti veste producantur. Regina in oppidum aliquod venienti clericus obuiam procedit. Elisabetha natalis in Calendario rubris, Deipara vero atris & minusculis literis notabatur: & pro huius laudibus, illius Londini vespere decantabatur. Ieiunia hodieque non religionis, sed publici commodi causa obseruantur. Calvinista Galli, Belga, suas Londini habent Ecclesias: è quibus illi immodestis studijs Cruces, imagines, altaria, festa, ieiunia profliganda esse asiduo clamant.

II. Hanc Ecclesie deformationem vel euerfionem potius quam plures Catholici ægerime ferrent ac hæresi, quamuis irritò tandem conatu fortissime sese opponerent; regina, vt imperitis aliquo modo satisfaceret, publicam inter Catholicos & Protestantem disputatorem institui voluit. Dicebant Catholici æquum non esse vt qua iam à multis seculis tot Pontificum, Conciliorum ac Patrum iudicijs definita, & ab Apostolis quasi per manus accepta sint, in questionem vocentur: quia tamen regina id vellet, paratos se indubitanter suam fidem omni loco ac tempore defendere. Propositis ergo in quaestione ali-quot articulis, dies & locus disputationis designati sunt. Iudex delectus Nicolaus Baconus, homo laicus, & pertinax hæreticus, assistente in speciem Archiepiscopo Eboracensi. Vix cæpta disputatione irruentis multitudinis impetu & clamoribus ita percutiata fuit, vt peragi nihil potuerit. Insignem animi magnitudinem ostendebant Episcopi, quorum plerique omnium periculorum secuti, Ex-

communicationis censuram contra Reginam aliosque adhibendam censebant: sed prudentioribus placuit, rem eam Romano Pontifici committendam potius. Nec multo post Pius IV. de tota hac re certior factus, Legatum in Angliam misit, qui tamen Insulæ ingressu fuit prohibitus. Et quâuis Pontifex reginam postea quoque sollicitarit, vt legatos suos ad Tridentinum Concilium mitteret, Episcopi tamen nouitij ignorantia sua sibi conficij, Regina id diffuaserunt.

Eodem anno Elisabetha publico Edicto, ne post festum S. Ioannis Baptista sacrum Catholico ritu fieret, prohibuit, ijs qui quodcumque officium Ecclesiasticum Romano more administrarent, aut administrari sibi curarent, graui indicta multa; nimirum vt qui in hanc legem prima vice commississet, vel ducentos aureos penderet, vel sex mensibus in vinculis esset; secunda vice quadringentos aureos exsolueret, aut vnus anni vincula pateretur; tertia denum vice perietuis carceribus addiceretur, omnibusque bonis multaretur. E hic illo dies fuit, quo hora Sathanæ & potestas tenebrarum in Angliam incubuit, sublato quotidiano illo & solemni siue lugis sacrificio de quo prophetauit Daniel in diebus antiquis (a), Episcopi qui impietatibus his nullo modo consentire volebant, præter vnum omnes de gradu & dignitate depositi, & in carceres ac custodias confecti sunt, & longo tandem miseriarum plerique cædio extincti. Catholici magno numero ex Insula in varias orbis partes discedebant. Academia omni ornatu, pulsus Professoribus, spoliata se lugebant.

Pius V. qui tum Catholicam Christi regebat Ecclesiam, vt gangranam hanc sanaret, vel sisteret saltim, quum lenibus remedijs hætenus nihil profectum videret, asperis vt iustatuit; lata in Elisabetham Excommunicationis ac depositionis sententia: quæ quum passim existeret, repetere hic camolo. Ob hanc ad Episcopale palatium Londini affixam nobilis quidam capitis supplicio fuit affectus. Qua re offensa Elisabetha, leges valde cruentas contra veteris fidei cultores promulgauit, quibus cauetur, Primo, Ne quis Elisabetham hæreticam, sibiismaticam, infidalem aut superæricam vocet, sub pena capiti. Ne quis aliam quam eum qua certam personam nominet, eius regnum, vel viuentem vel mortuam Elisabetham, iure debere dicatur, exceptam Elisabetham legitimam prole. Ne quis afferat, acceptæ

a Daniel. cap. 8 & 11. & 12.

aut gestet ulla sacra munuscula, qualia sunt Agnus Dei, cruces, imagines, calculi benedicti, &c. Bullas autem, Breuia Apostolica, instrumenta, &c. Roma deferre capitale statuitur, vti etiam Ecclesia Romana reconciliari, Crimen laesa maiestatis pronunciat. Eorum qui propter religionem in exteras regiones traiecerant, bona reposita addicuntur. Non tamen interea magni quidam viri Catholicam religionem scriptis propugnare cessabant; inter quos Nicolaus Harpsfeldus in carcere egregium opus contra Centuriatos Magdeburgenses, Copi nomine editum, conscripsit; item Thomas Hardingus, Nicolaus Sanderus, Gulielmus Alanus, & Thomas Stapletonus, offensi praecipue Ievvelli cuiusdam Superintendentis Sarisburiensis impudentia, qui in concionibus suis, ut erat disertulus & animosus, vehementer asseribat, Protestantes nihil praeter S. Scripturam, & antiquissimorum Conciliorum & Patrum auctoritatem tueri, &c. Retundebatur hoc palpabile mendacium stupidi hominis ab Hardingo Catholico & alijs multis; verum tamen ille quasi nihil audiret aut intelligeret, eadem mentiendo progrediens in concione ad crucem Paulinam habita enunciauit fidenter, nescio ex ignorantia, an malitia, certe falso: Multa esse dogmata Pontificiorum capita, quae nullo vel sacra scriptura Testimonio possent comprobari, vel Patrum aut Conciliorum, dummodo sexcentis post Christum annis non essent recentiores, approbatione suaveri, speciemque veri accipere. Impudens dictum, hominis parum versati, praesertim pollicentis se continuo partibus adversis accessurum simul atque unicum huiusmodi Testimonium produxissent. Capita erant xxvii. quorum praecipua erant: De Missa priuata; de sacra synaxi sub una specie; de lingua non intellecta usu in precibus de primatu Romani Pontificis; de transubstantiatione, de imaginum cultu, de scripturarum Lectione &c. (b) His ille miser apud plebem rudem Historiarum & Conciliorum & patrum domi suae detriumphabat Catholicam Ecclesiam, perinde ac Thraso ille qui de lupo in silua sibi oblato vane iactabat, sese in victum eius immassa brachio ad caudam usque pertingendo, animal torum inverteisse, veluti quaedam rebus vacuam peram. Sed facile triumphabat, vbi omnium ora Edicto Reginae, adeo erant obstructa, ut nec hic scire sine Maiestatis laesione liceret. Vt tamen vani hominis vel nunc, qui ista proterita seruta magni faciunt, intelligant fatuitatem, videant obsecro Catholicos, qui ista tractant, quique maxillas illas leoninas fregerunt. Quid enim ais Ievvelli? An Missa priuata non habet apud

ce in scriptura sacra testimonium? obsecro te cum Christus Dominus in caena vltima panem accipiens & gratias agens &c. Obtulit corpus & sanguinem suum in remissionem peccatorum, & dixit eadem mysteria ita ab ipsis tractanda & offerenda esse pro multis? An tunc in Templo Ierofolymitano erat, an in caenaculo? An quando Apostoli per domos frangebant panem, in templo coram populo vniculo fregerunt? & cum S. Lucas Act. 13. scriberet *λεῖψυδίων δὲ ἡ νυκτοδίαν αὐτῶν*, illis autem Sacrificantiibus & ieiunantiibus, (vti Vester Erasmus & ante & post Lutherum vertit) siue ut vulgata habet Illis autem Ministrantibus Domino & ieiunantiibus, & ut habet Anglica versio. *As they ministered to the Lord, and fasted.* Hic tu Ievvelli strenue singe nullam esse missae priuatae mentionem in scriptura, & die ministrare Domino & sacrificare, & Liturgiam Graece, Latine Missam celebrare, non esse in scriptura, & similiter caetera capita tuae impudentis assertionis pari modo die non esse in scriptura fundata, tunc sane rem tua fronte dignam praestitisti. Sed larua illa, quum saepe tum non ita pridem in Gallia Calvinistis detracta est, publice multipliciter commissae falsitatis conuictis, per Tabulam Chronologicam Gualterij &c. sed ad rem.

IV Omnis etiam Catholicis, qui religionem saluam cupiebant Elisabethae publicorum munerum & rariorum administratione interdixit. Vnde factum est, ut non pauci dissimulatione sibi utendum putarent, quo fortunis suis consulere: quamuis maior Nobilitatis, ut & plebis pars adhuc esset Catholica, nec vere vllae prouinciae aut ciuitates, praeter Londinum & quasdam maritimas haeresin amplexerunt. Multi tamen, ut dixi, dum reginae gratiam venantur, longe grauissimum Dei odium incurtere non dubitauerunt. Infelices, quicumque Deo imponere se posse existimant: qui ut non fallit, ita nec fallitur. Certe quoquot tum temporibus obsecundandum putabant, paulo post vel in haeresin inciduerunt, vel alijs modis perierunt. Elisabetha interea in eos qui *ritu* Parliamentarios non sequerentur, diligenter inquiri, & eos qui diebus Dominicis conciones non frequentassent, duodenis solidis multari iussit: quae multa postea valde aucta fuit Meliori certe sorte perfida illa Iudaeorum natio Romae est, qui non omnes, sed terius quisque in sacram ardem

Mineruz
b. Godwinus de Praesulibus Angliae in 28. Episcopo Sarisburiensi.

Mineræ singulis diebus Sabbathi venire coguntur, ut ubi de erroribus suis admoneantur, & contra se condemnationem ex ipsis Rabinorum scriptis audiant. In omnibus porro Elisabetha summam tam de religione quam cæremonijs statuendi potestatem sibi arrogans, ordinavit etiam ut diebus Mercurij, Veneris & Saturni ieiunium obseruaretur, cum admonitione tamen, ne quis existimes in eo religionis, sed reipublica potius habitam fuisset rationem. Mercurianum vero illud, Cæcilianum à quibusdam dictum fuit, quod Cæcilius reginæ Secretarius auctor eius vulgo haberetur. Nec tantum vero regina in fide, cultu & doctrina normam clero præscribebat, facultatem concionandi dabat & auferebat pro arbitrio, sed etiam concionem habentes aliquando è regio solio alloquebatur: quemadmodum aliquando Ecclesiam suam coram ipsa perorantem interrupit his verbis: *Domine Doctor vagaris, & effutis multum impertinentia. Recipe te ad textum quem exponendum suscepisti.* Galliarum regis Orator Lamotta Fennelonius duotum in Angliam attulerat, in signa Ordinis S. Spiritus, & nouum Calendarium à Pontifice reformatum. Et illa quidem statim placuerunt: *Calendarium vero quia à Pontifice venerat, initio quidem suspectum, postea tamen quum iussu Regina examinatum ratione nisi videretur, receptum fuit.* Et hic quidem religionis tum erat in Anglia status, Reipublicæ vero in speciem aliquam videbatur esse tranquillior; utpote pace apparente per totum regnum constituta. Interim nuptias Elisabethæ multi magni Principes ambiebant, etiam Catholici, ea spe, fore, ut tam eam quæ regnum ad Ecclesiæ vnitatem hac ratione aliquando reducerent. Et omnibus quidem illa tam exteris quam indigenis spem faciebat, ne bellum aut seditionem in se concitaret; tandem vero omnibus illudit, *Virginem se morituram dicens.* Quamquam autem Tridentinum Concilium Elisabetham Catholicæ religioni tot damna inferentem excommunicare statuisset; quo minus tamen id factum fuerit, Ferdinandus Imperator effecit, qui eam filio suo coniugem optabat & sperabat. Quæ spes quum deinde etiam euauisset, excommunicationis in ipsam lata fuit sententia; sed absque villo fere fructu, rebus iam valde mutatis.

V. Serpente per Angliam indies hæreseos latius contagione, aliquot docti viri in Belgium abierunt, & Duaci sub regimine D. Gulielmi Alani Copi, qui postea à Sixto V. ad Cardinalitiam dig-

nitatem fuit euectus, in disciplinam collegialem coierunt, & paulatim in numerosum creuerunt Collegium, quod primò bonorum maxime elemosynis, postea incredibili sedis Apostolicæ beneficio sustentatum, multos peperit optime institutos sacerdotes. Quum autem per id tempus Geusij in Belgio tumultuarentur, Collegium hoc, quod hæreticis maxime odiosum erat, Deo ita disponente, & Rege Christianissimo permittente, Rhemos migravit, ubi postea feliciter floruit, multosque viros pietate ac doctrina præstantes produxit Anno MDLXXIX. Gregorius XIII. Pontifex aliud insigne Collegium Romæ, amplissimis dotarum redditibus, instituit. In quo illud stupendum fuit, quod quum alibi etiam apud Catholicos multi ad Ecclesiasticum ordinem emolumentum & honoris causa festinent, Angli tamen, & in his Nobilium filij non pauci, sine vlla spe præmij, immo cum dispendio paternæ hæreditatis, & cum certa expectatione periculi & ignominæ, sacros ordines susceperunt. Et ex his quidem Collegijs quamplurimi prodierunt, qui Catholicam rem non parum iuuerunt & recreauerunt. Econtra hæretici ut suæ quoque Ecclesiæ splendorem aliquem conciliarent, noua Martyrologia & Calendaria ediderunt, in quibus Eduardum VI. Erasmus, Petrum Martyrem, Hussum, VVidesum, Latimerum & Cramerum notatos erat cernere. Buceri etiam quem Cantabrigiæ exhumatum & combustum fuisse diximus, cineribus vel ymbrius potius honorem restitui volebant, publicis illi ac celeberrimis denuo peractis iustis. Oxonij vero Petri Martyris concubinæ ossa è sterquilino in quod coniecta erant, summo studio collecta, non pristina sepultura, sed S. Fridisuidæ antiquissimo monumento illata, & venerabilibus reliquijs ita permixta sunt, ut discerni non queant, hoc addito impio Epitaphio: *Hic requiescit religio cum superstitione.* Sed scribi profecto oportebat: *Hic iacet pietas cum impietate, sanitas cum corruptione, bonum cum malo.* Quis neget hanc illam Senecæ vnam fuisse, in qua aurum & vipera simul inclusa fuisse dicuntur? Quæ communiõ Christi cum Belial? Non ita ambitiosi sunt Calvinistæ, qui in vepretis æque ac in locis consecratis humati, iuxta æstimant & recte illi de se sic statuunt, utpote hæretici, legibus ciuilibus obnoxij. Alia conditio sanctorum quorum Deus ossa custodit, & de quorum honore, qui olim Martyrum sepulcris fuit habitus, totam Antiqua.

quiritatem testem habemus. Sed non in hoc tantum, verum etiam alijs, ac potissimum in gradibus & dignitatibus Ecclesiasticis Angli à Calvinistis plurimum discedunt. Elisabetha quidem Henrici VIII. *legem de Episcoporum ordinatione resistit, quæ cavebatur ut electus Episcopus nullas quidem Bullas Pontificias, sed regium tantum diploma adferret. secundum quod à tribus Episcopis cum consensu Metropolitanis ordinatus, iubeatur esse verus Episcopus, atque ita dici; etiam solemniter vocatione adhibita: quam tamen Eduardus VI. sustulerat. Accidit tum, ut quom noui quidam Episcopi creandi essent, Catholicus qui rite ordinandi potestatem haberet, quaereretur. Quum vero Catholicorum nemo id facere vellet, instabant vehementer apud Archiepiscopum quendam Hibernum, quem in vinculis Londini habebant, ut hac in re operam ipsis præstaret; libertate & magno præmijs propositis: qui tamen nullo modo adduci potuit, ut hæretici sacras manus imponeret. Et cur, quæso, illi in re estroquin etiam nihil valitura, tanta cura & sollicitudine elaborassent, nisi consilij sibi fuissent, nequaquam satis esse ut extraordinariam quis missionem præstaret, nisi etiam certa ac specialia eius signa præferantur? Quæ, obsecro confuso futura sit, si quisque annunciando Dei verbo se velit ingerere nisi vocetur à Deo ut Aaron. Ridelum est videre qualia sibi effugia quaerant Ministri hi cum de Vocatiõis suæ certitudine examen subire coguntur. Alij Doctoralem ex Academia titulum, alij Baptismum, alij Magistratus iussione, mox Bibliam mox alia obtinent. Quandoque etiam, sed frustra Hebræorum Prophetarum exempla obtinent. Neque enim illi altaria contra altaria exorunt, nullius schismatis auctores fuerunt, nullos sacerdotes aut Levitas, quantiscumque etiam vitijs notabiles, ab officio deturbant, ut Nostri Novi Evangelici atque tentant. Quemadmodum vero Lutherus, etiam deserta Ecclesia, legitime se ab Ecclesia vocatum & ordinatum iactabat: ita Anglicani pseudoepiscopi eodem fuceo utebantur, & tamè hi ipsi in omni sermone Ecclesiam totis viribus impugnant. At scitote, suaves homines, quamprimum contra Ecclesiam cristas erigeret & vociferari incipitis, tamquam desertores vos à militum manipulo expungi atque exauferari. Inepse Ecclesie præterit auctoritatem, qui eam ipse non agnoscat. Legatus aliquis contra dominum à quo missus erat conspiciens, cumque hostibus ipsius colludens, iam non legatus, sed proditor dicendus est, eoque ab ipso acta dominum non obligant. Eodem modo hæretici postquam se-*

cessionem ab Ecclesia fecerunt, merito omni quantum ab ea acceptam dignitate & officio excidisse censendi, adeoque pro hostibus eius habendi sunt. Tanto vero in maioribus angustijs Anglicana erant Ecclesie, quod nec à Calvinianis nec à Lutheranis Episcopos petere possent, quorum opera vterentur, quum tam apud hos, quam illos nulli sint qui ullam iurisdictionem à Deo datam in animas habere noscantur. Ex quo apparet quam vere iactet Calvinus se primitivæ Ecclesie, quæ scilicet primis quingentis annis fuerit integritatem sequi, quum muneribus hæc & titulos Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Archidiaconorum, Diaconorum, &c. omni antiquitati notissimos rejiciat atque explodat. Eadem fide ait Episcopi, Sacerdotis, Pastoris & Ministri nomen promissive in S. Scriptura usurpari, quod eius mendacium tota facile refutat. Antiquitas, quæ muneribus hæc diligenter distinxit, & ut Sacerdotes ac presbyteri ab Episcopo ordinarentur sancivit, ut ex præceptis Timotheo datis (c) liquet, sui imperat ne manus cito imponat, & ipsum Timotheo etiam manus impositas fuisse demonstrat (d) & fortissime Titi Cretensis Episcopi exemplo liquet, quibus accedit Clemens qui huiusmodi munerum distinctionis ipsum S. Petrum Apostolum fuisse actorem, uti & S. Anacletus ad stipulatur.

Sed ut ad Anglos redeamus, quum Novi Episcopi omni legitima ordinatione destituti essent, atque ipsi legibus Anglicanis vere probarentur non esse Episcopi; brachium sæculare invocare coacti sunt, ut laici magistratus confirmationem in futuris comitijs acciperent: atque hinc nomen illis impositum, ut vulgi dictione *Parliamentary Episcopi* dicerentur. Atque hæc quidem prima fuit forma schismaticæ in Anglia Ecclesie. At obsecro vos, ubi legistis, vel Antiochiæ, vel Ephesi, vel Alexandriæ Episcopum à populo siue laicis fuisse electum? vel manus impositas? Nos ab Apostolis id factum scimus. Videte oro lepidam constitutionem: *Calvinus Episcopum à populo vult eligi: nec tamen ipse aut quisquam assuetum à populo electus fuit.* Hanc eligendi potestatem non Papæ & Episcopis, sed populo tribuendam esse clamitant hæretici: interim ipsimet populo omnino vel de facie etiam ignotos in cathedram homines producant: quos deinde ex vnius horula dicta ante concepta, & ad verbum recitata concione de

ipforum

c 1. Tim. 5. d 2. Timoth. 1.6.

ipforum dotibus, collectis priuatorum aliquot suffragijs, æstimatione facta, populo obtroduit. Sed quid? An Electionem hanc, an vero Electionis iam ante minus rite factæ male consultam approbationem potius dicemus: coniuratio. Coniuratio dicebat quædam in simili persona.

VI. Porro Elisabetha regina, vt Catholicorum, & in primis exterorum Principum offensionum quodam modo mitigaret, multa ex Catholicis cæremonijs retinuit: inter alia vero publice in mensa; quam ad instar altaris in sacello collocari iusserat, cæreos duos publice proponi voluit, sed eos numquam accensos ac crucem etiam in medio argenteam: sæpe etiam distitans, vt tam regni sui quam exteris Catholicis facilius imponeret, se non tam voluntate sua quam subditorum importunitate, vt religionem mutaret fuisse coactam; ea tamen in re magna usam moderationis. Interim modesta femina dignitates ac functiones Ecclesiasticas distribuere: quas sine ullo serupulo illi ipsi qui Geneua & aliunde ad plantandam Calvinis eiusmodi superbos, & vt ipse loquitur, Antichristianos in Prælati Principatus ac dominatus detestantis, doctrinam venerant, avidissime captabant, omni fidei, precum ac regimini formula, quam præceptoribus suis in Ecclesijs Anglicanas traducturos se receperant, Reginali Prælati & præscriptioni seruiliter se submittent, verbis à factis suis met, & ab utrisque sensu discrepantes, vt vel ex sua secum pugna sese hæreticos esse probarent. Vt tamen prælationis aucupes, & femine Pontificatus in Ecclesia Anglicana approbatores illi, extra Angliam existentes, & inuidia honorum offensus socios beneficio aliquo placarent, Calvinistis Gallis, Belgis, VValonijs certas Londini procurarunt Ecclesias; inter quas & Nouas has Anglorum synagogas accertimæ postea digladiationes existerunt, adeo quidem vt ex ministris Gallicanis nonnulli sint postea coacti discedere dum in Puritanos & Caluino papistas scinduntur. Et ex illis contubernijs quidam etiam igni sunt traditi nam ad eas Ecclesias mox sub prætextu Caluinismi, ex varijs gentibus omnium sectarum impurissimi quique homines commigrarunt.

Alia etiam inter Caluinistas & Anglos dissensio nata fuit, de apparatu scilicet & vestitu clericorum. Regina enim mandarat, vt tam in publico quam in templo Episcopi, Canonici, aut beneficium aliquod habentes, eodem sere vestitu, qui apud Catholicos vsitatus est, vterentur. Cui decreto Caluinistæ numquam acquiescere voluerunt, sed nuncios & litteras ad

confratres in Gallia, Germania & Heluetia, maxime ad Theodorum Bezam & Petrum Martyrum miserunt, eorum sententiam & consilium expectantes. Sed his omnibus posthabitis, Regina decretum suum obseruari voluit, certo, qua in omnibus hæresibus est, confusionis testimonio. qua vt contra Ecclesiam unanimiter omnes conspirant, ita singula mutuum sibi perniciem moluntur. Tandem vero, vt alibi dixi, Elisabetha omnis generis hæresibus tutum receptum dare coacta fuit, ad sui regni totale exitium.

Nam in Angliæ regno quatuor potissimum sectæ sub ea sunt nate, quæ ad Caluinianam proxime accedunt, cæremonijs tamen multum inter se discrepant. Prima eorum est qui Regiam pro Ecclesiæ capite agnoscunt, Regia inde, vulgo vero Anglicana dicta: cuius fundamenta Henricus VIII, iecit, Eduardus eduxit & Elisabetha stabilivit de qua hæcenus satis est actum. Secunda est Catharorum seu Puritanorum, vel Consistorialium: quod ex Consistorij præscripto omnia agenda esse censent. De ijs sequenti capite dicentur. Tertia est Baronitarum à Barone quodam auctore nomen habens: de qua Beza Epistola LXVIII Quarta Domus seu Familia Amorudicitur, quæ ceteras omnes capitali odio persequitur. Huius auctor Baronus quidam Henricus Nicolai fertur. Omnes vero virulentissimis scriptis mutuo sese exagitarunt; quæ passim exstant. Inter alios VVirtegius magnum contra Puritanos volumen edidit, quo Anglicanæ Ecclesiæ reformationem rite factam, nec à Geneuensis formulam eius petendam esse contendit. Eodem Baronitæ noua Angliæ Prodigia appellant. Stapletonus Puritanos a reginæ primatum detestari, eamque ob causam duobus Reginæ iussu, laqueo gulam fractam; sexdecim vero circiter Geneuam ad Bezam aufugisse, sed non hic finis malorum.

DE ILLEGITIMIS HÆRETICORUM Ministrorum connubijs. De Puritanis.

De Catholicorum quorundam martyrio: & inuincibili feminarum aliquot constantia.

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

- I. Sacerdotum in Anglia uxores & spurij in summo sunt contempti.

V 2

II Df